

Tertio jam loco declarandum est ; quid sit prædeterminatio : quid in causis secundis ponat : & an ipsa causa secunda dum agit mutetur.

ARTICULUS I.

Cum pro ipsdem fumantur in hac materia præmovere , prædeterminare , & applicare causam secundam ad operationem , satis notum erit quid sit prædeterminatio , si clarè ostenderimus quid sit applicatio. S. Thomas 1. 2. q. 16. docet quod uti re aliquà sit eam applicare ad operationem : *Usus rei alicujus* (inquit art. 1.) *importat applicationem rei illius ad aliquam operationem , unde & operatio ad quam applicamus rem aliquam dicitur usus ejus* : Et articulo 2. *Ubi est applicare ali-*

Quid prædeterminatio.

quod principium actionis ad actionem. Ex quibus colligere licet quid sit prædeterminatio & applicatio quæ Deus causas secundas, earumque virtutes activas applicat ad actionem : est enim usus ille actionis quo Deus utitur causâ secundâ ad operandum. Sicut enim utens securi, illam determinat & applicat ad sciendum eò ipso quo facit eam agere, & per eam scindit : ita Deus utens causa secunda illam applicat & prædeterminat ad agendum. Hic tamen aliquid discriminis esse supra monuimus, hoc videlicet quòd Deus cum sit incircumscriptus & infinitus tangat immediatè causam & effectum, non autem artifex utens instrumento ; & quod instrumentum artificis habeat se merè passivè, causa autem libera quando determinatur habeat se passivè simul & activè, quia ita movetur à Deo ut etiam moveat seipsam. Ex his haberi potest : an motio Dei habeat se per modum principij an per modum actionis : comparata enim ad causam secundam quæ movetur, habet se per modum principij, quia motio Dei immanens quæ causam secundam movet non est aliud quam ipse Deus movens : comparata autem ad causam primam ut tendentem in effectum, habet se per modum actionis, quia est usus ille actionis quo Deus utitur causa secunda ad operandum, ipsaque ratio quæ causa prima dicitur agere in & per causam secundam : & sic motio illius terminus proximus est causa secunda quæ primò attingitur, sed ultimus est effectus per eam productus. Si quæras : an prædeterminatio sit res distincta ab actione causæ secundæ. *Resp.* patet ex dictis : si enim sermo sit de prædeterminatione quæ est actio Dei immanens, est res ab actione creaturæ distincta ; si de prædeterminatione quæ est actio Dei virtualiter transiens, qua causa secunda formaliter determinatur & agit, non est res ab actione creaturæ distincta. Sicut enim equitare est usus equi, nec differt ab equitatione ; percutere est usus baculi, nec differt à percussione ; scindere est usus cultri nec differt à scissione, scilicet realiter : ita causam secundam operari est usus causæ 2. nec realiter differt ab ejus actione : ignem urere est usus ignis, nec realiter differt ab utione. *Potes* quare ergo causa secunda non dicitur seipsam prædeterminare. *Respondeo* hoc posse dici, si habeatur respectus prioritatis ad effectum seu terminum actionis, quia prius natura sit actio quam terminus sit in passo receptus. Nec valet replica dicentium quod causa non prius agit quam sit agens, quia hoc non dicimus, sed tantum asserimus causam prius agere quam effectus sit in passo receptus. Sed esto, non dicatur absolute causa secunda se prædeterminare, quæ tamen facit actionem

Quid prædeterminatio differt ab actione causæ 2.

eandem cum Deo : ratio est, quia una causa non est prior seipsa, prima tamen causa est prior quam secunda, ideòque prius agit quam illa. *Potes* secundò, quare eadem actio non est prior & posterior seipsa ? prior quatenus est prædeterminatio, posterior quatenus est effectus prædeterminationis. *R.* quod actio simul tempore emanans à Deo & creatura, prius tamen natura ab illo quam ab ista absolute est posterior prædeterminatione quæ est actio Dei immanens, quæque dicitur causa actionis : alioquin fumendo determinatione prout realiter identificatur actioni, sic actio nec est prior, nec posterior determinatione, nec est effectus determinationis ; sed est illa ipsa determinatio quam Deus dicitur prius natura facere, quia prius natura procedit ab illo quam à causa secunda. Quamquam si determinationem actioni creaturæ identificatam consideres sub formali ratione actionis, adhuc poterit dici prior eadem illa re considerata sub ratione passionis jam receptæ in subiecto, sicut actio dicitur prior passione, & motio moventis prior motu mobilis etiam sit eadem res.

ARTICULUS II.

Secundo loco examinandum est quid sit illud quod causa secunda recipit quando determinatur à Deo, an forma, an qualitas, an virtus, an aliquid aliud. Putamus dicendum quod sicut artifex una numero actione scindit per securum, & ignis simul cum calore eadem numero calefactione calefacit. Ita Deus & causa secunda operantur per actionem eandem numero, juxta ea quæ habet B. Thomas 1. p. q. 105. art. 5. ad 2. ubi dicit quòd *nihil prohibet quin una & eadem actio procedat à 1. & 2. agente*. Quibus similia habet lib. 3. contra Gent. cap. 70. & Joannes de Bafolli in 2. d. 37. disertè affirmat quòd *eadem causatione passivè effectus causatur ab utraque causa, & ista non bis sed semel causatur*. Quo posito dicimus quod causa secunda quando determinatur à Deo, neque nihil recipit, neque tamen recipit qualitatem, aut formam vel virtutem in ea inherentem, sed recipit hoc, esse causam actû, agere, operari, & producere effectum. Sicut enim aliud est agere, quam posse agere : ita Deus qui causis secundis dat posse agere, dicens etiam esse dare illud (agere) & hoc est modus ille seu motus quo potentia aliter se habet dum agit quam dum quiescit, quia scilicet est actu agens cum ante solum esset potentia. Et sicut igni non est aliud urere quam ustio, nec calefacere quam calefactio, nec baculo aliud percutere quam percussio, ita hoc quod causa secunda recipit dum determinatur, scilicet agere non differt realiter ab actione. *S. in*ter, actio transiens recipitur in passo, ergo quando causa secunda determinatur ad actionem transeuntem non recipit actionem. *Resp. neg. consq.* quia licet actio sit in patiente ut in eo subiectivè recepta quoad suum plenum esse & terminum, eadem tamen originaliter, causaliter, & instar virtutis transeuntis est in agente sicut in principio elicitive, unde & dicitur ab illo procedere, quia scilicet ab eo incipit & definit in passum. Imò ipse Philosophus, eumque secutus B. Thomas in lib. 3. *Phylic.* docent motum & actionem esse actum duorum, scilicet motivi & mobilis, unius ut ab hoc, alterius ut in hoc : ideòque observandum est quod actio quæ identificatur motui, duo includat formam in recto, fluxum & originem in obliquo : &

Quid recipiat causa 2. a Deo.